

terius exercere possit nequitiā. Cum enim omnes suas actiones hoc in casu secundum hominum Temperamentum & humorum qualitatem instituat, & hanc, si bona sit, corrumpere annitatur, non posse fieri, quin agrotus aliquod percipiat lenimentū, si depravati per Satanam humores Melancholici in ordinem redigantur, hęc enim ratione ipsum quiescere, tamdiu, donec Deo permittente rursus humanum corpus ita disponat, ut suę malitię locus denuò concedatur.

§. XI. Hęc autem ventilanda venit insignis illa *Qvęstio: Utrum Musica naturali hęc vi polleat, ut morbos in Corpore humano excitatos tollere atq; ita simul animum tranquilliores efficere valeat, prout talis effectus in Saule post Musicam Davidis secutus est?* Affirmativa, ut puto, defendetur omninò rectissimè. Experientiam enim hęc testem omni exceptione majorem habemus, quę cum Testimonia varia & propemodum innumera suppeditarit, quę & Antiquiores & recentiores studiosè annotaverunt, non abs re fortè facturi sumus, si ea, quę huc apprimè spectant, B. L. exhibeamus. Constabit enim exin dilucidius, quàm planè & absqve difficultate fluant omnia, si ad hunc casum consveta Musicę vis applicetur.

§. XII. Non equidem animus est, prolixius ea excutere, quę Poëtę afferre siveverunt de hęc Musices efficaciam. Ea enim fabulosa ut plurimum sunt, aut mysticum in se habere sensum deprehenduntur. Ita tradunt illi de *Orpheo*, quod lyrã suã sylvas, & saxa, & feras post se traxerit, id verò hoc sensu capiendum est, quod agrestem atqve ferinam hominum naturam in melius ille mutaverit. Sanè ad hunc usum accommodare videtur illam fabulam *Horatius*:

*Sylvestres homines sacer interpretq; Deorum
Cadibus & victu fædo deterruit Orpheus,
Dicitus ob hoc lenire Tygres rabidosq; Leones.*

Vide